

incidissent, evoluisse se fateatur, satisq; temporis linguarum studio & lectioni librorum veterum impendisse. Quamobrem etsi persuaserit sibi scientias quæ libris continentur, illas saltem quæ perspicuis demonstrationibus carentes verisimilibus tantum argumentis fulciuntur, quia non nisi ex variis diversorum hominum sententiis collectis conflatae sint, non tam propè ad veritatem accedere, quam opiniones, quas homo aliquis sola ratione naturali utens & nullo præjudicio laborans, de rebus quibuscunq; obviis habere potest; non potuit tamen paulò post non fateri, fore, ut, deletis ex mente sua simul ac semel omnibus pristinis opinionibus, deinde vel alias meliores, vel certè easdem, sed postquam maturæ rationis examen subiissent, admitteret. Id quod nihil aliud est, quam, quæ ab aliis ætate nondum matura didicimus, adolescente judicio examinare, quæ vera bonaq; deprehensa sunt admittere, vero propiora excolere & confirmare, falsis & ineptis rejectis meliora substituere, h.e. Electorum methodo philosophari. Observârunt certè non uni ex eruditorum ordine, ingeniosi hujus Philosophi scriptis infertas hinc inde hypotheses, tanquam ab ipso primùm excogitatas, quas in antiquiorum scriptis dudum erat legere, etsi non ita excultas, nec tam speciosè propositas: Unde factum etiam, ut e.g. argumentum illud Cartesii pro DEI existentia, quod ab ipso horum terminorum significato petit, Author primarum objectionum contra Cartes. meditationes (quem Typographus in limine V. tarum, doctum quendam Foederati Belgii Theologum fuisse monet) apud S. Thomam, & *Reinerus Vogelsang* in Specim. Conflictûs, p. 108. & 109. penes alios quoque Scholasticos dudum extare moneant; hic idem *Vogelsangius* in Indign. justa contra exercit. Paradoxamp. 68. ægerrimè ferat dubitationem, quæ pertinere dicitur ad initiationem Philosophi, tam procaciter audire Cartesianam, & cur non potiùs Socraticam aut Platonicam

cam